

• Altiùs Ipse viam ingrederis tamen, Ipse relinquis
Nubibus in mediis terræ contagia nostræ,
Nec metuis ventos, aut sævos fulminis ignes,
Nubesque, pluviasque, nivesque, albasque pruinas,
Supra axes, supra Phoebum miramur euntem.

Est aliquid certè mortali hoc corpore majus,
Ille animus nempe, illaque diæ particula auræ,
Mens illa, è cœli missam quam traximus arce,
Mandatrix operum, cui cœtera cuncta ministrant.
Altera pars terræ sumus, & pars altera cœli,
Atque simul nobis ipsis hospesque domusque,
Hoc ductore paras magnum & mirabile nosse,
Quod latet abjectas mentes, renuitque videri
Illi, qui terras amat & mortalia tecta.

Ingentes animæ, nec nostri sordibus ævi
Turpiter immerse, patrias ita quærere sedes
Contendunt, & cognatos referuntur in orbes,
Nam velut ignivomâ collustrat lampade terras
Cynthius, ipse tamen natalem servat olympum;
Sic animus quamvis nostri sit corporis hospes,
Semper adesse DEO Autori tamen usque exoptat.

Amico certo & honorando

L. M. Q.

M. MARTINUS NORDANUS,
Holsatus.

F I N I S

Atton 564, 20

23. Sep. 1970